6. Tendere la mano è un segno: un segno che richiama immediatamente alla prossimità, alla solidarietà, all'amore. In questi mesi, nei quali il mondo intero è stato come sopraffatto da un virus che ha portato dolore e morte, sconforto e smarrimento, quante mani tese abbiamo potuto vedere! La mano tesa del medico che si preoccupa di ogni paziente cercando di trovare il rimedio giusto. La mano tesa dell'infermiera e dell'infermiere che, ben oltre i loro orari di lavoro, rimangono ad accudire i malati. La mano tesa di chi lavora nell'amministrazione e procura i mezzi per salvare quante più vite possibile. La mano tesa del farmacista esposto a tante richieste in un rischioso contatto con la gente. La mano tesa del sacerdote che benedice con lo strazio nel cuore. La mano tesa del volontario che soccorre chi vive per strada e quanti, pur

avendo un tetto, non hanno da mangiare. La mano tesa di uomini e donne che lavorano per offrire servizi essenziali e sicurezza. E altre mani tese potremmo ancora descrivere fino a comporre una litania di opere di bene. Tutte queste mani hanno sfidato il contagio e la paura pur di dare sostegno e consolazione.

7. Questa pandemia è giunta all'improvviso e ci ha colto impreparati, lasciando un grande senso di disorientamento e impotenza. La mano tesa verso il povero, tuttavia, non è giunta improvvisa. Essa, piuttosto, offre la testimonianza di come ci si prepara a riconoscere il povero per sostenerlo nel tempo della necessità. Non ci si improvvisa strumenti di misericordia. È necessario un allenamento quotidiano, che parte dalla consapevolezza di quanto noi per primi abbiamo bisogno di una mano tesa verso di noi.

Questo momento che stiamo vivendo ha messo in crisi tante certezze. Ci sentiamo più poveri e più deboli perché abbiamo sperimentato il senso del limite e la restrizione della libertà. La perdita del lavoro, degli affetti più cari, come la mancanza delle consuete relazioni interpersonali hanno di colpo spalancato orizzonti che non eravamo più abituati a osservare. Le nostre ricchezze spirituali e materiali sono state messe in discussione e abbiamo scoperto di avere paura. Chiusi nel silenzio delle nostre case, abbiamo riscoperto quanto sia importante la semplicità e il tenere gli occhi fissi sull'essenziale. Abbiamo maturato l'esigenza di una nuova fraternità, capace di aiuto reciproco e di stima vicendevole. Questo è un tempo favorevole per «sentire nuovamente che abbiamo bisogno gli uni degli altri, che abbiamo una responsabilità verso gli altri e verso il mondo [...]. Già troppo a lungo siamo stati nel degrado morale, prendendoci gioco dell'etica, della bontà, della fede, dell'onestà [...]. Tale distruzione di ogni fondamento della vita sociale finisce col metterci l'uno contro l'altro per difendere i propri interessi, provoca il sorgere di nuove forme di violenza e crudeltà e impedisce lo sviluppo di una vera cultura della cura dell'ambiente» (Lett. enc. *Laudato si'*, 229). Insomma, le gravi crisi economiche, finanziarie e politiche non cesseranno fino a quando permetteremo che rimanga in letargo la responsabilità che ognuno deve sentire verso il prossimo ed ogni persona.

8. "Tendi la mano al povero", dunque, è un invito alla responsabilità come impegno diretto di chiunque si sente partecipe della stessa sorte. È un incitamento a farsi carico dei pesi dei più deboli, come ricorda San Paolo: «Mediante l'amore siate a servizio gli uni degli altri. Tutta la Legge infatti trova la sua pienezza in un solo precetto: *Amerai il tuo prossimo come te stes-*

so. [...] Portate i pesi gli uni degli altri» (*Gal* 5, 13-14; 6, 2). L'Apostolo insegna che la libertà che ci è stata donata con la morte e risurrezione di Gesù Cristo è per ciascuno di noi una responsabilità per mettersi al servizio degli altri, soprattutto dei più deboli. Non si tratta di un'esortazione facoltativa, ma di una condizione dell'autenticità della fede che professiamo.

Il libro del Siracide ritorna in nostro aiuto: suggerisce azioni concrete per sostenere i più deboli e usa anche alcune immagini suggestive. Dapprima prende in considerazione la debolezza di quanti sono tristi: «Non evitare coloro che piangono» (7, 34). Il periodo della pandemia ci ha costretti a un forzato isolamento, impedendoci perfino di poter consolare e stare vicino ad amici e conoscenti afflitti per la perdita dei loro cari. E ancora afferma l'autore sacro: «Non esitare a visitare un malato» (7, 35). Abbiamo sperimentato l'impossibilità di stare accanto a chi soffre, e al tempo stesso abbiamo preso coscienza della fragilità della nostra esistenza. Insomma, la Parola di Dio non ci lascia mai tranquilli e continua a stimolarci al bene.

9. "Tendi la mano al povero" fa risaltare, per contrasto, l'atteggiamento di quanti tengono le mani in tasca e non si lasciano commuovere dalla povertà, di cui spesso sono anch'essi complici. L'indifferenza e il cinismo sono il loro cibo quotidiano. Che differenza rispetto alle mani generose che abbiamo descritto! Ci sono, infatti, mani tese per sfiorare velocemente la tastiera di un computer e spostare somme di denaro da una parte all'altra del mondo, decretando la ricchezza di ristrette oligarchie e la miseria di moltitudini o il fallimento di intere nazioni. Ci sono mani tese ad accumulare denaro con la vendita di armi che altre mani, anche di bambini, useranno per seminare morte e povertà. Ci sono mani tese che nell'ombra scambiano dosi di morte per arricchirsi e vivere nel lusso e nella sregolatezza effimera. Ci sono mani tese che sottobanco scambiano favori illegali per un guadagno facile e corrotto. E ci sono anche mani tese che nel perbenismo ipocrita stabiliscono leggi che loro stessi non osservano.

In questo panorama, «gli esclusi continuano ad aspettare. Per poter sostenere uno stile di vita che esclude gli altri, o per potersi entusiasmare con questo ideale egoistico, si è sviluppata una globalizzazione dell'indifferenza. Quasi senza accorgercene, diventiamo incapaci di provare compassione dinanzi al grido di dolore degli altri, non piangiamo più davanti al dramma degli altri né ci interessa curarci di loro, come se tutto fosse una responsabilità a noi estranea che non ci compete» (Esort. ap. *Evangelii*

gaudium, 54). Non potremo essere contenti fino a quando queste mani che seminano morte non saranno trasformate in strumenti di giustizia e di pace per il mondo intero.

10. «In tutte le tue azioni, ricordati della tua fine» (*Sir* 7, 36). È l'espressione con cui il Siracide conclude questa sua riflessione. Il testo si presta a una duplice interpretazione. La prima fa emergere che abbiamo bisogno di tenere sempre presente la fine della nostra esistenza. Ricordarsi il destino comune può essere di aiuto per condurre una vita all'insegna dell'attenzione a chi è più povero e non ha avuto le stesse nostre possibilità. Esiste anche una seconda interpretazione, che evidenzia piuttosto il fine, lo scopo verso cui ognuno tende. È il fine della nostra vita che richiede un progetto da realizzare e un cammino da compiere senza stancarsi. Ebbene, il fine di ogni nostra azione non può essere altro che l'amore. È questo lo scopo verso cui siamo incamminati e nulla ci deve distogliere da esso. Questo amore è condivisione, dedizione e servizio, ma comincia dalla scoperta di essere noi per primi amati e risvegliati all'amore. Questo fine appare nel momento in cui il bambino si incontra con il sorriso della mamma e si sente amato per il fatto stesso di esistere. Anche un sorriso che condividiamo con il povero è sorgente di amore e permette di vivere nella gioia. La mano tesa, allora, possa sempre arricchirsi del sorriso di chi non fa pesare la propria presenza e l'aiuto che offre, ma gioisce solo di vivere lo stile dei discepoli di Cristo.

In questo cammino di incontro quotidiano con i poveri ci accompagna la Madre di Dio, che più di ogni altra è la Madre dei poveri. La Vergine Maria conosce da vicino le difficoltà e le sofferenze di quanti sono emarginati, perché lei stessa si è trovata a dare alla luce il Figlio di Dio in una stalla. Per la minaccia di Erode, con Giuseppe suo sposo e il piccolo Gesù è fuggita in un altro paese, e la condizione di profughi ha segnato per alcuni anni la santa Famiglia. Possa la preghiera alla Madre dei poveri accomunare questi suoi figli prediletti e quanti li servono nel nome di Cristo. E la preghiera trasformi la mano tesa in un abbraccio di condivisione e di fraternità ritrovata.

Roma, San Giovanni in Laterano, 13 giugno 2020, Memoria liturgica di Sant'Antonio di Padova.

FRANCESCO

NUNTIUS TELEVISIFICUS

Ad Operatores Maris.*

Cari fratelli e sorelle,

questi sono tempi difficili per il mondo, perché abbiamo a che fare con le sofferenze causate dal coronavirus. Il vostro lavoro da marittimi e pescatori è diventato ancora più importante, per assicurare alla grande famiglia umana cibo e altri generi di prima necessità. Di questo, noi vi siamo riconoscenti. Anche perché siete una categoria molto esposta. Negli ultimi mesi la vostra vita e il vostro lavoro sono notevolmente cambiati e avete affrontato – e ancora affrontate – tanti sacrifici, lunghi periodi di lontananza a bordo delle navi senza poter scendere a terra. La lontananza dai familiari, dagli amici e dal proprio Paese, la paura del contagio, tutti questi elementi sono un peso faticoso da portare, ora più che mai.

Vorrei dirvi: sappiate che non siete soli e non siete dimenticati. Il vostro lavoro in mare vi tiene spesso lontani, ma voi siete presenti nelle mie preghiere e nei miei pensieri, così come in quelli dei cappellani e dei volontari della «*Stella Maris*». Il Vangelo stesso ce lo fa ricordare, quando ci parla di Gesù con i suoi primi discepoli, che erano tutti pescatori, come voi. Oggi desidero mandarvi un messaggio e una preghiera di speranza, una preghiera di conforto e di consolazione contro ogni avversità e nello stesso tempo incoraggio tutti quelli che lavorano con voi nella pastorale della gente di mare.

Il Signore benedica ognuno di voi, benedica il vostro lavoro e le vostre famiglie; e la Vergine Maria, Stella del Mare, vi protegga sempre. Anch'io vi benedico e prego per voi. E voi, per favore, non dimenticatevi di pregare per me. Grazie!

* Die 17 Iunii 2020.

SECRETARIA STATUS

RESCRIPTUM «EX AUDIENTIA SS.MI»

De modificationibus Normarum Secretum Pontificium respicientium.

In riferimento alle Norme sul Segreto Pontificio, contenute nell'Istruzione «*Secreta continere*» del 4 febbraio 1974, a firma dell'allora Segretario di Stato Jean Card. Villot, nonché nel *Rescriptum ex audientia SS.MI* del 5 dicembre 2016 con il quale è stato aggiunto all'art. 1 della suddetta Istruzione «*Secreta continere*» il n. 11: «*Notitiae et acta quae ad quasque res iuridicas, oeconomicas vel nummarias attinent easdemque ad Summum Pontificem vel Secretariam Status spectantes*»,

il Sommo Pontefice Francesco,

nell'Udienza concessa il 15 giugno 2020 al sottoscritto Cardinale Segretario di Stato, ha approvato la seguente decisione:

è abrogato l'art. 1, n. 11, come approvato il 5 dicembre 2016, ed è sostituito dal seguente testo:

11) ***Quod pertinet ad illas quaestiones iuridicas, oeconomicas vel nummarias quae secreto pontificio servandae sunt, Secretaria Status et Curiae Romanae Officia licentiam ante petant a Commissione ad hoc a Summo Pontifice designata.***

Il Santo Padre ha ordinato che il presente Rescritto venga pubblicato mediante affissione nel Cortile di San Damaso, e successivamente negli *Acta Apostolicae Sedis*, stabilendo che entri in vigore a partire dal 24 giugno 2020.

Dal Vaticano, 15 giugno 2020

Pietro Card. Parolin
Segretario di Stato

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Litterae circulares ad Praesides Conferentiarum Episcoporum de invocationibus «Mater misericordiae», «Mater spei» et «Solacium migrantium» in Litanias Lauretanas inserendis.

E Civitate Vaticana, die 20 Iunii 2020
In memoria Immaculati Cordis B. Mariae Virginis

E.me Domine,

ad Sanctam Ierusalem caelestem peregrinans, ut communione inseparabili cum Christo Sponso et Salvatore suo gaudere valeat, Ecclesia per historiae semitas procedit, se committens Illi quae credidit verbo Domini. Discipuli Iesu enim, Evangelio testante, statim laudare «benedictam in mulieribus» illam didicerunt, necnon maternae eius intercessioni confidere. Multiplices sunt tituli et invocationes quibus, decursu saeculorum, christiana pietas Virginem Mariam, viam praecipuam et certam ad Christo occurrendum, appellavit. Praesenti quoque tempore, in quo plurimae dubitationis trepidationisque causae inveniuntur, populus Dei devotum auxilium ab ea petitum, plenum amore et fiducia, maxime sentit.

Hisce omnibus attentis, Summus Pontifex Franciscus, petitionibus benigne obsequens, disponere voluit ut posthac in formularium Litaniarum Beatae Mariae Virginis, quae «Lauretanae» nuncupantur, inserantur invocationes «Mater misericordiae», «Mater spei» et «Solacium migrantium».

Prima nova invocatio post invocationem «Mater Ecclesiae» erit collocanda, secunda post invocationem «Mater divinae gratiae» et tertia post invocationem «Refugium peccatorum».

Quae dum Tecum, E.me Domine, in notitiam et normam communicare placet, occasionem hanc libenter nanciscor ut sensus venerationis meae erga Te pandam.

E.tiae Tuae in Domino add.mus

Robertus Card. Sarah
Praefectus

✠ Arturus Roche
Archiepiscopus *a Secretis*

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

TEMPLENSIS - AMPURIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Paulae Muzzeddu, Fundatricis Societatis Filiarum a Matre Purissima (1913-1971)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Cum cor Deum et proximum diligit (cfr *Mt* 22, 36-40), cum hoc est vera eius intentio et non vacua verba, tunc cor illud mundum est ac Deum videre potest» (Franciscus, Adhortatio Apostolica *Gaudete et exsultate*, 86).

Haec verba, quae puritatem cordis atque caritatem in Deum et in proximum iungunt, signaculum fere videntur spiritualis experientiae Servae Dei Mariae Paulae Muzzeddu, quae funditus puritatem vixit, videlicet cordis virginitatem, Christo Sposo adhaesionem totam, caritatis erga alios fecunditatem.

Serva Dei Aggii in Sardinia die 26 mensis Februarii anno 1913 nata est. Adulescens Actioni Catholicae interfuit et Filiis Mariae. Post aliquos operis annos et propter Servi Dei Salvatoris Vico occursum, anno 1934 se uti ab externo ascriptam consecravit in Congregatione Missionariarum Filiarum a Iesu Crucifixo, definitum earum ordinem vitae apostolatusque sic amplectens. Secundi totius mundi belli annis, una cum quadam amica hospitio usa rusticam apud casulam prope Aggium, precari meditarique potuit. Clare vocationis ad novam religiosam familiam fundandam signa percepit quae imitationem Virginis Mariae haberent uti totius vitae atque apostolatus centrum. Ita anno 1947, capuccino patre Antonio ab Osilo spirituali moderatore, Societatem Filiarum a Matre Purissima inchoavit. Ipsi societati praedicandum erat Evangelium puritatis, quod prima ex omnibus Virgo Maria vixerat. Episcopus Templensis et Ampuriensis novae communitatis Constitutiones approbavit. Deinde anno 1979 Archiepiscopus Turritanus canonice Societatem ipsam comprobavit.

Die 8 mensis Decembris anno 1958 Serva Dei professionem perpetuam emisit. Divino amore ardens, Evangelio continenter fidelis fuit. Ob precationem, silentium et meditationem numquam a rebus et quaestionibus mundi fugit, sed

mersa est in Domini communionem, a quo semper patientiam benignamque caritatem traxit. Virginis Mariae, quam per Rosarium assidue invocabat, vivens imago usque fieri quaesivit. Dei Verbum puritatis apostolatum ei subiecit, oratio eam Domino iunctam tenuit, mater fuit bonarum animarum, quas benevolentia suo ipsi proposito allexit. In mysterio eucharistico se Deo obtulit necnon in diuturno morbo, quem ad Dei voluntatem accepit. Pie in Domino die 12 mensis Augusti anno 1971 Aggii obdormivit. Exequiae eius in fulgenti Assumptionis Mariae in caelum sollemnitatis lumine celebratae sunt. Eius exuviae conditae sunt Saccere in crypta ecclesiae Matri Purissimae dicatae.

Sanctitatis fama apud Curiam ecclesiasticam Templensem-Ampuriensem a die 11 mensis Iunii anno 1992 ad diem 7 mensis Octobris anno 2004 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 25 mensis Novembris anno 2005 est approbata. Positione confecta, iuxta consuetudinem disceptatum est an Serva Dei heroico in gradu virtutes christianas exercuisset. Die 31 mensis Ianuarii anno 2017 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, prospero cum exitu, habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione die 4 mensis Iunii anno 2019 congregati, me ipso Angelo Cardinali Becciu praesidente, Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas heroum in modum exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Mariae Paulae Muzzeddu, Fundatricis Societatis Filiarum a Matre Purissima, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 11 mensis Iunii a.D. 2019.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

VERCELLENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Sanctinae Collani (in saeculo: Mariae), Religiosae Professae Instituti Sororum Misericordium (1914-1956)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Cum Iesu permanere! Sine eo quam foedus est mundus! Unum cupio: Iesum diligere et pro eo consumi! Aliquando mori ut eum videam cupio, et in quaestionem adducor: Quid pro eo adhuc feci? Sed diligere eum et ut omnes eum diligant volo ».

Haec aliquae sunt enuntiata quae variis vitae temporibus Serva Dei Maria Sanctina Collani (in saeculo: Maria) scripsit. In quibus principium patefecit quod eam constanter sustinuit, videlicet in contemplatione actionibusque misericordiae dilectio.

Serva Dei Isorellae, in Brixiensi dioecesi, nata est die 2 mensis Martii anno 1914. Quartum aetatis annum agens, matre orbata est, dum pater eius in armis erat. Hanc ob rem tradita est propinquorum familiae qui in Cremonensi provincia habitabant. Litterarum ludo interfuit, cuius magistra anno 1939 eam instituto Oblatarum Nostrae Dominae a Sacro Corde Cremonae direxit. Ibi Serva Dei famulae munere est functa et deinde, signis divinae vocationis perceptis, oblata quidem facta est. Paucis post annis, confessarii sui consilio, Atellam prope Potentiam petiit ut Sororum Misericordium institutum nuper fundatum nosceret. Rivi Nigri novitiatum ingressa est. Suae in oblatis Cremonae antistitae memor, Sanctinam nomini suo adiunxit. Magno et alacri animo vitam inter Sorores Misericordes inchoavit. In Avellinensi provincia quindecim per menses ludi pueritiae moderatrix facta, postea Burgi Alicis prope Civitatem Sanctae Agathae antistita nominata est. Die 15 mensis Augusti anno 1955 professionem perpetuam emisit. Paulo post, prima illius infirmitatis signa habuit, qua sequentibus annis multum laboravit. Ad Almam Lauretanam Domum Lapurdenseque sanctuarium fuit peregrina.

Serva Dei continenter voluntatem Domini atque evangelicam perfectionem quaesivit. Penitus in fide radicata, veram Domini communionem vixit omnibus in vitae vicibus quibus ad semper maiorem spiritualem maturitatem usa est. Ardens fidelisque fuit eius sui ipsius Domino oblatio pro Summo Pontifici, pro sacerdotibus, ad peccatorum conversionem necnon ut multae

ad institutum eius vocarentur. Caritas eius cotidie oratione alebatur et se ostendebat per magnam in ministrando largitatem. Sorores suas praecipue curavit, quarum oculis semper testes credibilis fuit spei in adversis et fidei in Deum. Sapiens et prudens, aequa et simplex, religiosae consecrationis munera et christianas virtutes suis naturalibus donis adiunxit. Suarum Sororum amore circumdata, die 22 mensis Decembris anno 1956 obiit.

Fama sanctitatis eius apud Curiam ecclesiasticam Vercellensem a die 8 mensis Aprilis anno 2003 ad diem 1 mensis Februarii anno 2009 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 24 mensis Martii anno 2010 est approbata. Positione exarata, consuetas secundum normas an Serva Dei heroico modo virtutes christianas exercuisset disceptatum est. Fausto cum exitu, die 8 mensis Februarii anno 2018 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum est celebratus. Patres Cardinales et Episcopi die 21 mensis Maii anno 2019 in Ordinaria Sessione, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas heroum in modum exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Mariae Sanctinae Collani Sororis Professae Instituti Sororum Misericordium, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 11 mensis Iunii a.D. 2019.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CALATANISIADENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Angelici Lipani (in saeculo: Vincentii), Sacerdotis Professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, Fundatoris Congregationis Sororum Franciscalium a Domino (1842-1920)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est» (*Mt* 5, 16).

Servus Dei Angelicus Lipani (in saeculo: Vincentius) vivus testis christianae praesentiae in calamitate desperatae pauperatis fuit testimoniumque perhibuit in novis viis ad caritatem muniendis, secundum magnam traditionem franciscanam et capuccinam.

Servus Dei Calatanisii die 28 mensis Decembris anno 1842 natus est. Eodem die sacro fonte lustratus, nomen Vincentium ei impositum est, quintus fuit filius frequentis familiae Salvatoris ac Calogerae Raitano. Vincentius, naturaliter inclinatus ad pietatem, suum desiderium consecratam vitam amplectendi ostendit et, superatis quibusdam familiaribus difficultatibus, anno 1861 Caccami Capuccinorum novitiatum ingressus est nomenque ei fratrem Angelicum est inditum.

Illic integritate, prompta oboedientia, amore mortificationis, Regulae ac Constitutionum observantia eminuit. Expleto novitiatus anno, ad professionem admissus et Panormum missus est ut ad philosophica theologicaque studia attenderet. Die 23 mensis Octobris anno 1865 religiosam emisit professionem dieque 3 sequentis mensis Decembris sacro ordine est auctus.

Cum autem leges Institutorum Religiosorum suppressionis, eversionis dictae, die 7 mensis Iulii anno 1866 et die 15 mensis Augusti anno 1867 promulgatae essent, iuvenis sacerdos religiosam vestem exuere et coenobium relinquere debuit. Talarem ergo induit vestem et in clerum dioecesanum se inclusit. Frustra Capuccinorum coenobium natali in oppido redimere nisus est, quia aedificium in valetudinarium iam conversum erat.

Nova in tempestate Servus Dei spiritualem assistentiam Tertii Ordinis sancti Francisci suscepit. Anno 1874 Episcopus ei mandavit ut latinam grammaticam apud Seminarium dioecesanum doceret, quo munere per plus quam viginti et quinque annos, instituendo ingentem multitudinem futu-

rorum sacerdotum, fideliter functus est. Eius navitas eum ad absolutam sui donationem perduxit, adeo ut domum suam fere in parvum seminarium constitueret, septem iuvenes seminarii alumnos illic gratuito hospitio excipiendo.

Cum nominatus sit rector parvae ecclesiae, olim rimosae ac inornatae, Calatanisii suburbanae et SS. Crucifixo dicatae, vulgo nuncupatae *Domini Civitatis*, eandem spiritualitatis intenti motus sedem reddidit. Illic cum auxilio Tertii Ordinis sancti Francisci Servus Dei denuo favit devotioni erga SS. Crucifixum et *Panis pauperum* perceptionem sedule concitavit.

His primis inceptis p. Angelicus Calatanisii tam spiritualem quam caritativam et socialem vitam penitus inivit, nova tamen et graviora officia eum exspectabant. Urbs afflicta est luctibus et familiaribus gravibus doloribus ob corruptas sulphuris fodinas anno 1881 in loco v.d. *Gessolungo* et anno 1882 in loco *Tumminelli*. His in calamitatibus tantum viri perierunt, hanc ob rem multae familiae in angustias inductae sunt. Hac re ut levaret luctus ac miserias, iuxta ecclesiam *Domini Civitatis* mense Septembri anni 1883 Servus Dei quasdam domus emit et ex fundamentis eas refecit ut in eisdem exciperet filias fossorum mortuorum. Duae adiutrices eius, indutis tunicis cinereis, velo atro ac cingulo Franciscanorum sodalium, se Domino consecraverunt, sic Institutum Sororum Franciscalium a Domino Civitatis incepit. Erat dies 15 mensis Octobris anno 1885. Postea Sancta Sedes die 30 mensis Augusti anno 1960 Congregationem sub nomine Sororum Franciscalium a Domino pontificium per decretum approbavit.

Servus Dei etiam catholicae editoriali diffusioni favit per editionem a mense Septembri anni 1879 menstrui commentarii v.d. *Svegliarino dei Terziari Francescani*, ut fraterna caritas inter Tertii Ordinis sodales confirmaretur et socialis navitas pro pauperibus excitaretur. Interea Servus Dei operam dedit ut nova inveniretur sedes pro fratribus Capuccinis. Aedificatio tamen admodum lenta fuit et Capuccinorum vita tantum a die 4 mensis Octobris anni 1904 restaurari potuit, cum primi fratres, inter quos etiam Servus Dei, ad communem vitam coenobiticam, post perturbationes suppressionum, redire potuerunt.

Die 29 mensis Iulii anno 1911 p. Angelicus, cum sua valetudo admodum fragilis esset et in coenobio difficulter adsideri posset, a Ministro Provinciali ut sibi concederetur apud paternam domum commorari postulavit. Petitione autem accepta, Servus Dei, suis a sororibus Damiana ac Teresia curatus, suum intentum apostolatum perrexit.

P. Angelicus, sine facultatibus, sine clamore et sine pronuntiationibus, suam manum et omnia sua dolentibus ac egenis obtulit. Secundum Servum Dei materiale ac spirituale auxilium in pauperem fontem habebat in illo evangelico animi motu, qui solus potest re invenire necessitates, caritatis ministerium efficiendo et se offerendo uti ministrum Dei dispertientem misericordiam et panem vitae. Caritas ergo, quae scaturit et alitur a fide in *Christum patientem,* Dominum ac Redemptorem, patefactum ac exoratum parva in ecclesia SS. Crucifixi *Domini Civitatis*, non potuit quin se expandere in illis audacibus inceptis, quae eius pastorale ministerium denotaverunt.

Servus Dei die 9 mensis Iulii anno 1920 suam terrestrem fecundam diem perfecit. Anno 1947 eius exuviae a Calatanisii coemeterio translatae sunt ad ecclesiam *Domini Civitatis*, ubi hic humilis, sedulus atque angelicus fautor pacis ac boni operatus erat.

Sanctitatis fama permanente, a die 11 mensis Octobris anno 1997 ad diem 9 mensis Iulii anno 2001 Inquisitio dioecesana apud Curiam Calatanisiadensem celebrata est, cui a die 5 mensis Martii ad diem 4 mensis Iunii anno 2004 apud eandem Curiam Suppletiva Inquisitio accessit. Quarum omnium iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 2 mensis Maii anno 2008 est approbata. Exarata *Positione*, disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Servus Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Die 23 mensis Februarii anno 2016 habita est Historicorum Consultorum Sessio. Die 17 mensis Ianuarii anno 2019, fausto cum exitu, Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Item Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in sessione die 18 mensis Iunii anno 2019 congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, Servum Dei heroicum in gradum virtutes theologales, cardinales eisque adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Angelici Lipani, in saeculo Vincentii, Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum*

Capuccinorum, Fundatoris Congregationis Sororum Franciscalium a Domino, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 5 mensis Iulii a.D. 2019.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

METENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Staphani Petri Morlanne, Christifidelis Laici Fundatoris Congregationis Dioecesanae Sororum a Caritate Materna (1772-1862)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lucem vitae» (*Io* 8, 12).

In tenebris huius temporis Servi Dei Stephani Petri Morlanne testimonium refulsit: Dominum fideliter secutus, ad evangelicam perfectionem pervenit et magnanimae sinceraeque caritatis lumen circum se fundit.

Servus Dei Metis die 22 mensis Maii anno 1772 ortus est. A familia sua primum institutus, apud Patres Ordinis Sancti Benedicti studia exsecutus est. Seminarium Metense ingressus est at duos post annos Seminarium vi clausum est et alumni domum redire coacti. Aliquorum sacerdotum consilio artem medicam didicit apud universitatem, et iam a bello deflagrato inter Galliam et Austriam anno 1792 medicus factus est in militum valetudinario. Etsi Concordatus anni 1901 alumnos Seminarum redire permitteret, suum opus pergere statuit, Deo respondens quem ad medicam artem exercendam eum vocare certus erat. Cotidianae vices ad usque maiorem fidem in Deum eum perduxerunt. Gravidis mulieribus adiuvandis hospitium aperuit, cuius rector fuit et in quo ipse artem obstetriciam iuvenibus docebat. Anno 1804 aliquas probatas sedulasque alumnas elegit et eis proposuit ut illam, quae Congregatio Sororum a Caritate Materna dein facta est, inciperent. Institutum prius a Rege Aloisio XVII deinde a Metensi Episcopo anno 1822 approbatum est.

Servus Dei ad artem medicam docendam se tradidit et quosdam ex gravioribus morbis, uti variolas, inquisivit. Una cum aliquibus sacerdotibus amicis Humanitatis Operam fundavit ad innuptas matres iuvandas. Fortitudine, integritate ac alto fidei sensu difficultatibus occurrit quae eius opera secum ferebat, maxime ob praeiudicatas opiniones de iuvenibus quas curabat. Moribus austerus, a bonis temporalibus discessus, in proximos continenter promptus, vivendi modum pauperitatem elegit et omnem pecuniam suam pro caritatis operibus quas perficiebat impendit. Constanter se ad voluntatem

Dei audiendam dicabat, ex meditatione, oratione, Eucharistiae adoratione et Virgini Mariae devotione vim ad caritatem exercendam trahens. Aegrotantibus Evangelium Crucis et Passionis Iesu nuntiabat. Propter opus suum plurimis insignibus decoratus est, quae semper valde humili animo suscepit.

Nonagesimum annum aetatis agebat, cum die 7 mensis Ianuarii anno 1862 mortuus est. Eius obitum multi comploraverunt et de eius fama sanctitatis testimonium praebuerunt.

Hac sanctitatis fama perdurante, iuxta Curiam ecclesiasticam Metensem a die 22 mensis Ianuarii anno 1989 ad diem 28 mensis Februarii anno 1990 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 25 mensis Martii anno 1994 est approbata. Positione exarata atque die 2 mensis Octobris anno 2001 iudicio Consultorum Historicorum subiecta, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroico in modo virtutes excoluisset. Die 20 mensis Septembris anno 2018 Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus, fausto cum exitu, celebratus est. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die 18 mensis Iunii anno 2019 congregati, me ipso Angelo Cardinale Becciu praesidente, Servum Dei heroicum in modum virtutes theologales, cardinales eisque adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Stephani Petri Morlanne, Christifidelis Laici, Fundatoris Congregationis Dioecesanae Sororum a Caritate Materna, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 5 mensis Iulii a.D. 2019.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

ASTURICENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Ageli Riesco Carbajo, Episcopi Auxiliaris Administratoris Apostolici Tudelensis, Fundatoris Instituti Saecularis Missionariarum Apostolicarum a Caritate (1902-1972)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«*Caritas Christi urget nos*».

Episcopale effatum Servi Dei Angeli Riesco Carbajo complectitur simulque declarat quod illius operositatis fuit insigne: beneficia in omnes conferre, praesertim quidem in pauperes et egentes. Hanc agendi rationem, quam inierat in oppido v.d. *La Bañeza*, prosecutus est ut Vicarius generalis Asturicensis eamque dum episcopatum exercuit Oveto in oppido atque ut auxiliaris Tudelensis Administratoris, ipsaque exstitit, sicut Servus Dei declaravit, «*suprema categoría del hombre*».

Natus est Servus Dei in pago *Bercianos de Vidriales* (in dioecesi Zamorensi in Hispania) die 9 mensis Iulii anno 1902. Parvulus adhuc, una cum parentibus operam navandam inquirentibus petiit Rem Publicam Argentinam. Cum repetiit patriam anno 1914, animadvertit se vocari ad sacerdotium: adiit Seminarium patrum Societatis Iesu in oppido *Comillas* apud Sancti Andreae urbem, ibique institutionem spiritalem atque culturalem implevit usque ad gradum doctoratus in disciplina philosophica et theologica. Optimum se praebuit exemplar in colenda pietate eucharistica et mariana, summopere dilexit Ecclesiam, apostolicam exhibuit sollicitudinem.

Sacerdos consecratus die 25 mensis Iulii anno 1926, addictus est paroeciae Salvatoris (*La Bañeza*), atque viginti per duos annos pastoralem exercuit animarum curam devotis eucharisticis celebrationibus, ad poenitentiae tribunal sedulus, egentium familiarum visitator, assidens infirmis, pauperibus, in catechesi tradenda pueris iuvenibusque indefessus. Ecclesiae insuper iura defendit contra simultates et falsas accusationes.

Die 9 mensis Ianuarii anno 1948 renuntiatus est Vicarius generalis dioecesis Asturicensis atque hoc munere praeditus operam dedit ut ipsa in dioecesi susciperentur incepta iam comprobata in oppido *La Bañeza*. Eius pastoralis operositatis fructus exstitit, anno 1957, constitutio Instituti saecularis *Missionariarum Apostolicarum a Caritate*, imposito munere operandi in ambitu sociali.

Die 2 mensis Februarii anno 1958 renuntiatus est episcopus auxiliaris Ovetensis, quo in munere exercendo gravissima passus est incommoda, quae quidem perrexerunt etiam cum, mense Octobri anno 1959, renuntiatus est episcopus Tudelensis, auxiliaris delegati apostolici. Quod munus exsecutus est decem per annos, quibus decurrentibus interfuit, annis 1963-1965, Concilio Vaticano II: Concilii praecepta deinde ad effectum adducere est conatus sua in pastorali navitate.

Anno 1969 Servus Dei coram Summo Pontifice exhibuit suam renuntiationem a munere episcopali auxiliari Tudelensi atque se recepit apud *La Bañeza*, ubi operam dedit ad institutionem Missionariarum Apostolicarum a Caritate atque, infatigabilis in vinea Domini operarius, perrexit ministerium exercere ad poenitentiae tribunal atque necessitatibus egentium et morbo laborantium occurrere.

Enitet in Servi Dei vita caritatis virtus, quam quidem exercuit ille erga Deum et proximum, clementia atque constantia. Primas partes in ipsius corde egerunt Deus eiusque gloria: inde ab inceptis studiis in seminario filialem coluit devotionem erga Virginem Mariam et Sacrum Cor Iesu. Firma virtus replevit ipsius animum eumque reddidit comitem accipientem omnium indigentium: omnium, nemine excepto, se praebuit auxiliatorem in spiritalibus materialibusque necessitatibus. Persensit nuntium christianae fidei tamquam munus maxime instans, atque semet ipsum reddidit renovatae catechesis praeconem atque laicalis associationismi impulsorem.

Tacito ore perpeti, nullum iudicium edere, extitit praecipua eius nota, una cum a bonis materialibus seiunctione, erga Ecclesiam obsequium laetitiaeque exercitium: quae omnia ipse agitavit sub voto. Moderatus semper atque ad sui abnegationem paratus, recto iure licuit Servo Dei voce efferre atque ad effectum adducere Pauli verba: «Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi» (*Gal* 6, 14).

Ipsius vitae sacerdotalis testimonium eiusque doctrina exhibent Servum Dei Pastoris exemplar in Hispanica universalique Ecclesia. Servat enim ipsa perennem actualitatem ob comprobati pastoris populo proximi effigiem, ob exemplar episcopi integre dediti Ecclesiae ministerio, qua de re cunctus Dei populus invenire potest in eo alimentum atque lucem ad recipiendum Concilii nuntium ecclesialis renovationis.

Septuagesimum annum agens, die 2 mensis Iulii anno 1972 morte occubuit apud *La Bañeza*, ibique sepultus est in ecclesia Sanctae Mariae.

Servi Dei, sive dum vitam ageret sive post mortem, sanctitatis fama est prosecuta, qua de causa, inde a die 12 mensis Octobris anno 1995 ad diem 17 mensis Maii anno 1997, facta est in Asturicensi Curia Inquisitio dioecesana, cuius vim comprobavit haec Congregatio de Causis Sanctorum per Decretum die 24 mensis Septembris anno 1998 datum. Post instructam *Positionem*, disceptatum est, ad formam praevisam, utrum Servus Dei virtutes exercuisset heroico gradu. Post certum responsum, die 28 mensis Septembris anno 2017 factus est Theologorum Consultorum Peculiaris Congressus. Patres Cardinales atque Episcopi in Sessione Ordinaria die 2 mensis Iulii anno 2019, cui ego ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, comprobaverunt Servum Dei exercuisse gradu heroico virtutes theologales, cardinales aliasque adiunctas.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sactorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Angeli Riesco Carbajo, Episcopi Auxiliaris Administratoris Apostolici Tudelensis et Fundatoris Instituti Saecularis Missionariarum a Caritate, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 5 mensis Iulii a.D. 2019.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

BOTRYENSIS MARONITARUM

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Elia Hoyek, Patriarchae Antiocheni Maronitarum, Fundatoris Congregationis Sororum Maronitarum a Sacra Familia (1843-1931)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« In manu Dei potestas terrae, et utilem rectorem suscitabit in tempus super illam » (*Eccle* 10, 4).

Israelis Sapientis cogitatio bene congruit cum historia humana ac spirituali Servi Dei Eliae Hoyek: is enim authenticus fuit vir, a Spiritu Sancto collustratus, qui valuit esse dux communitatis suae etiam angustiarum in temporibus et testis ac auctor pacis et spei etiam civili pro societate evenit.

Servus Dei die 4 mensis Decembris anno 1843 parvo in pago v.d. *Helta* apud Botrum septentrionali in regione Libani est natus. Die 5 mensis Ianuarii sequentis anni sacro fonte lustratus est. Maior natu septem filiorum coniugum Tedros Hoyek et Ghrra Tannous Nasr, sua in familia secundum christianam doctrinam institutus est. Studiorum curriculum incepit apud Seminarium Sancti Ioannis Maronis in pago *Kfar-Hay* et iam a pueritia clara signa vocationis ad sacerdotalem vitam percipere incepit. Hanc ob rem Patriarchale Seminarium pagi *Ghazir* ingressus est, ubi praeterea linguae ac philosophiae studuit, suum porro studiorum curriculum Romae apud Pontificium Collegium Urbanianum perfecit, ubi superiores eius diligentiam, ingenium ac pietatem agnoverunt et de eo sic notaverunt: « Sublimi ingenio, eminentem gradum in scientiis sibi comparandis obtinuit. In patientia, docilitate, pietate ac observantia fuit ad exemplum ». Die 5 mensis Iunii anno 1870 sacro ordine auctus est et sequenti autem die 9 mensis Augusti theologiae laureae doctoralis est potitus.

